



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXXI. De lege in communi. ad q. 90.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



TRACTATUS VIII.
DE
LEGIBUS.
PROLOQUIUM.

Recto ordine post Tractatum de vitiis & peccatis Theologia Scholastica ad normam Doctoris Angelici de Legibus tractat, ut nocti diem, tenebris lucem subnectat. Nam *Lex Lux* est, quæ cæcam dissipat vitiorum caliginem: fidum fidus & Cynosura est, quæ in fluctuantis vitæ turbido portum ostendit æternæ felicitatis. Hæc est Theologi Legem tractantis consideratio: nam agit quidem & de Lege Moralis Philosophus, sed tanquam Regulâ morum ad obtinendam naturalem felicitatem: tractant de illa Jurisprudentes, sed in ordine ad politicam gubernationem, & communem Reipublicæ pacem: disputant Juris Canonici Interpretes, sed in ordine ad Ecclesiasticam politiam, moresque convenienter ad obtinendam salutem in foro externo instituendos. Theologus altiori indagine *Leges* examinat, quatenus ab increata Sapientia derivatæ humanas actiones à vitiis avocant, & in conscientiæ foro ad internam animæ sanctitatem informant, atque ad DEUM ut ultimum finem supernaturalem, in cœlesti quondam Republica consequendum disponunt. Hic noster in paucis hisce pagellis; hic Tuus, Amice Lector, nunc in intentione, & utinam olim in executione ultimus Finis esto. Vale.

DISPUTATIO XXXI.

DE

Lege in communi. ad q. 90.

Licet in ampla & metaphorica acceptione inclinatio ac propensio in aliquem finem naturaliter impressa quandoque nomen legis accipiat, quo sensu dicitur Prov. 8. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, & inordinata inclinatio appetitus sensitivi, Rom. 8. *lex membrorum, lex peccati, lex fomitibus* appellatur; hic tamen legis nomine intelligitur regula humanorum actuum in commune bonum directiva. De qua

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Lex?

SUMMARIA.

- | | |
|--|--|
| 1. Existentia & necessitas legis. | 4. Presupponit tamen actum voluntatis. |
| 2. Varii actus intellectus & voluntatis concurrunt ad constituendam legem. | 5. Hinc removetur actus intellectus, qui est iudicium de agendis. |
| 3. Lex formaliter consistit in imperio, quod est actus intellectus practici. | 6. Exponuntur auctoritates S. Scripturæ, quæ allegantur pro utraque parte. |

7. Lex

7. *Lex debet esse illius potentia, in qua est dominium quoad vim dirigendi, non quoad vim movendi.*
8. *Finis legis est bonum commune.*
9. *Non est necessarium finis operantis, sed operis.*
10. *Ideo feruntur ad communitatem.*
11. *Qualis debeat esse communitas?*
12. *Causa legis efficiens.*
13. *Legis definitio.*
14. *Diversa legis divisiones.*
15. *Actus legis.*
16. *Differentia inter legem, preceptum, privilegium, & consilium.*

§. I.

Sive Lex formaliter actus rationis, vel voluntatis?

1. **S**uppono primò, necessarium fuisse hominibus, ut haberent legem, per quam ipsorum actus in proportionatum finem honestatis dirigerentur. Nam primò: Creatura rationalis & ab intrinseco defectibilis in suis operationibus, cum ipsa sibi non possit esse regula suarum operationum, indiget regulà Superioris, eandem præceptivè & obligatorivè adstringente intra limites honestatis, ne ab iis exorbitet: atqui homo est creatura rationalis ab intrinseco defectibilis in suis operationibus: ergo indiget tali regulà Superioris, h. e. lege, quâ dirigatur in finem honestatis. Secundo. Creatura rationalis essentialiter subjecta jurisdictioni Divinæ, etiam ab illo in suis actibus essentialiter jus & legem accipit; sed homo est ejusmodi creatura: ergo. Tertio. Necessè fuit, ut homines singuli & privati subordinarentur toti communitati, ac bonum privatorum dependeret à bono communi omnium: sed hoc absque legibus obtineri non posse experientia constat: ergo necesse fuit, leges dari. Quæ rationes probant, in omni statu legem fuisse necessariam. Itaque supposita legis existentia & necessitate

2. **S**uppono secundo, ad condendam legem varios actus tam voluntatis, quam intellectus concurrere. Nam primò post efficacem intentionem boni publici oritur consultatio de utilitate & congruitate legis ad hunc finem condendæ; quam consultationem claudit resolutoria sententia, ac iudicium de legis æquitate: mox voluntas legem sic præviè consultatam eligit, & quâ pollet autoritate ac potestate jurisdictionis subditos obligare decernit. Hæc voluntate excitata & applicata ratio mox per actum imperii eandem voluntatem subditis efficaciter denunciat, vimque obligandi in ipsos moraliter derivat.

Quæritur ergo: In quonam istorum actuum formaliter & secundum metaphysicam suam essentiam lex consistat. Communis Scottistarum & Recentiorum collocat in actu voluntatis, consequenter ad sua principia posita in Tract. de Act. hum. ubi docent imperium formaliter esse actum voluntatis, qui supponat actum intellectus. Alii in utroque actu tam intellectus quam voluntatis ex æquo constituunt. Communis Thomistarum docet formaliter consistere in actu rationis, qui imperium dicitur, necessariò tamen præsupponere actum voluntatis.

Cum quâ sentio & probo primam partem assertionis primò ex S. D. h. c. a. 1. & 1. 2. q. 17. a. 1. Imperium est actus rationis practicæ, quia est quædam directiva & ordinativa intimatio operis faciendi vel omitendi ad subditos capaces directionis: sed lex formaliter est imperium: ergo formaliter est actus rationis practicæ. Major supponitur ex Tract. de act. hum. & inde liquet: quia ordinare, dirigere, intimare, loqui sunt actus intellectus: sed hoc est munus proprium imperii: ergo. Minor conceditur ab omnibus; lex quippe est præceptiva ordinatio, efficax & obligatoria, eoque distincta à consilio; *virtus legis est præcipere, vel prohibere l. legis virtus; ff. de leg.*

Probatur secundo, Electio tamen essentialiter prærequirit actum intellectus, à quo habet quòd sit assumptiva unius mediæ præ altero, tamen formaliter non consistit in actu intellectus, sed voluntatis; neque ex actu intellectus componitur: ergo tamen lex seu imperium essentialiter prærequirit actum voluntatis, & inde accipiat efficaciam motricem, non ideo tamen formaliter consistit in actu voluntatis.

Altera pars probatur: quia vis motiva & liberitas in actibus prudentiæ & intellectus practici dependet à voluntate seu primo movente in ordine creato: sed lex & imperium habet vim movendi, estque actus liber pertinet ad prudentiam & intellectum practicum: ergo dependet à prævio actu voluntatis.

Ex quo inferes primò, legem formaliter non consistere in iudicio practico intellectus, quod consultationem sequitur, & vocatur dictamen vel sententia de agendis, v. g. *hoc est tibi faciendum*: nam, ut loco cit. diximus, imperium movet ad executionem, quod exprimitur per verba, *fac hoc*, nec ostendit tantum faciendam, sed præcipit: sed lex est imperium: ergo.

Inferes secundo. Cum in Sac. Script. DEI lex vocatur voluntas, ut ps. 32. & 142. id accipiendum esse originativè & præsuppositivè, quia prima & radicalis vis movendi ac obligandi pertinet ad voluntatem: Cum verò vocatur *mandatum, iudicia, eloquia, sermones DEI*, esse accipiendum formaliter. Sic pariter cum Prov. 6. *lex lux & mandatum DEI lucerna* ps. 118. nuncupatur, ad intellectum principaliter pertinere indicatur; illuminatio quippe, sicut & ideatio, exemplatio, & c. directricis potentia, & oculi intellectualis sunt munia. Nihilominus

Obijcies: In illa potentia residet actus legis, in qua formaliter residet superioritas & dominium: sed hoc formaliter residet in voluntate: ergo & actus legis. Major probatur: quia legislatio est actus Superioris, & provenit ex dominio jurisdictionis.

Respondeo distinguendo majorem: in qua formaliter residet dominium, quoad vim regulandi & dirigendi, concedo; quoad vim movendi, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam.

§. II.

Legis causa finalis & efficiens.

Finis intrinsecus legis est bonum commune. 8. *Lex, inquit Isidorus citatus, est nullo privato commodo,*

Nn 3

commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta. Ratio ex S. D. est primò, quia regula communis perrinens ad principium humanorum actuum, debet respicere finem ultimum, tanquam principium primum in operativis: finis quippe & actus debent ad invicem proportionari: sed finis ultimus est felicitas, eaque communis; siquidem particularis felicitas refertur ad communem, tanquam pars ad totum; ergo lex primariò & intrinsecè intendit communem felicitatem, h. e. bonum commune.

Secundò. Legem ferre est actus potestatis gubernativæ vel Divinæ, vel à DEO in homines derivatæ. Si est ipsius DEI, constat, ab ipso intendi communem hominum beatitudinem: si est actus potestatis ab ipso derivatæ, debet hujus potestatis exercitium divinæ intentioni conformari, idque sive illa immediatè à DEO, sive tantum mediatè, & ab hominibus immediatè proveniat: neque enim populus potestatem gubernativam in unum vel plures contulit, ut suis commodis, sed ut publico bono confulerent, nec regnum est propriè regem, sed rex propter regnum, inquit Arist. 3. polit. unde hanc inter regem & tyrannum differentiam agnoscit D. Basil. hom. 12. in Proverb. quòd ille propriam, hic communem in suo regno quærat utilitatem.

9. Ista tamen publici boni intentio non est necessariò ex fine operantis, sed sufficit, si sit ex fine operis. Ideo que lex erit valida, si cum voluntate obligandi lata, ex se ad commune bonum sit utilis, quantumvis privatè intentione legislatoris in propriam commodum, aliumve pravum finem detorqueatur: *Etsi enim ille* [inquit D. Aug. 1. 1. de lib. arb. c. 5.] *cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, & quia bona lex & à non bono ferri potest.*
10. Quæ causa est, quòd lex ad communitatem ferri debeat: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. L. jura 8. ff. de leg.* Est quippe lex actus prudentiæ gubernativæ & architectonicæ quæ respicit bonum commune, & non nisi in communitate reperitur. Sed qualis illa, & quanta debet esse communitas, ut sit propriæ legis capax? R. cum Suar. 1. 1. c. 6. requiri communitatem perfectam. Talis est, quæ sibi sufficit ad comparandam, & conservandam felicitatem, quatenus mutuo partium subsidio humanitus fieri potest & solet. Dividitur in realem, seu localem, quæ terminis realibus, seu localibus clauditur, ut civitas, regnum, &c. & in personalem, quæ non tam à loco, quàm personis ad se invicem sub perfecto regimine moraliter unitis attenditur, ut est aliquis Ordo Religiosus, Militaris, &c. Imperfecta communitas est congregatio plurium personarum, insufficientis tamen ad efficiendum unum corpus politicum, & felicitatem humanam mutuo partium concursu conservandam; cujusmodi est quælibet privata domus & familia, quæ non tam communitatem, quàm partem communitatis efficiunt.
11. Non ideo tamen à ratione legis excludimus illa statuta, quæ proximè non totam communitatem, aut singulas illius partes, sed unam aliquam partem, aut societatem in communitate conten-

tam concernunt: uti sunt leges vèdgalium pro augendo Principis ærario, leges in favorem Clericorum, Religiosorum, pupillarum, militum, &c. lata: nam & istæ ultimato, per se, & ab ininfeco bonum commune respiciunt; totiusque communitatis vel maximè interest ejusmodi leges condi & servari.

Causa efficiens legis est una, vel plures personæ habentes autoritatem publicam, & partem jurisdictionis, ut habet S. D. a. 3. Nimirum qualis est ordo finium, talis est ordo efficientium, cum ergo finis legis sit bonum commune & publicum, etiam ille, qui legem condit, debet polere potestatem publicam: quam habet vel ipsa communitas, vel unus, aut plures gerentes personam curamque communitatis. Unde non cujuslibet ratio est factiva legis, inquit S. D. a. 3. sed ejus, qui habet præceptivam potestatem, & quidem jurisdictionis. Nam potestas præceptiva alia est economica & dominativa, alia politica & jurisdictionis. Illa economica & dominativa ad præceptum sufficit: ad imponendam vero legem politica & jurisdictionis requiritur, & quidem ut dictum, suprema; siquidem legislatio actus est supremi imperii.

§. III.

Legis definitio & divisio.

Definitur Lex à S. D. a. 4. *Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Cujus definitionis bonitas liquet ex antè dictis, & enumeratione causarum, quæ inibi sufficienter continentur. Dicitur ergo primò *Ordinatio*, quo significatur causa & effectus formalis, qui est subditos dirigere & ordinare in finem ultimum felicitatis, adeò que lex ipsa formaliter constituit in actu ordinativo & intimativo, h. e. imperio; & quidem secundò *rationis* practicæ, quo indicatur subjectum legis, quod est intellectus practicus; tertio dicitur, *ad bonum commune*, quod est legis causa finalis: & quartò *ab eo qui curam communitatis habet*; ubi denotatur causa efficiens. Denique *promulgata*, juxta illud Gratiani in c. *istis temporalibus*; dist. 4. *Leges instituantur, cum promulgantur.* Nempe Lex publicum & commune præceptum est: sed hoc sine publicæ intimatione, quam promulgationem vocamus, nequit intelligi. Lex quoque ait S. D. a. 4. *imponitur aliis per modum mensuræ & regulæ*: sed regula & mensura imponitur, & actu mensuratur & regulatur, in quantum mensurato applicatur; ergo etiam Lex in tantum aliis imponitur, illis que actu mensurat, in quantum applicatur: sed applicatur promulgando: ergo. Est igitur quòd priusquam Lex promulgetur, inchoatam quandam, radicalem & incompletam virtutem obligandi ac regulandi à voluntate Legislatoris accipiat, quòd tamen formalem & perfectam efficaciam obligandi habeat, hoc promulgatio debet.

Varia sunt legis divisiones; Primò Lex potest dividi in Divinam & humanam. Divina in naturalem, & positivam: positiva in veterem & novam: humana in Ecclesiasticam, & Civilem.

vilem. *Lex aeterna*, ut describit S. D. q. 93. a. 1. est ratio divinae Sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum & motionum in bonum publicum totius universi, quod est gloria DEI. Ubi si tota motio generatim sumatur cum inclusione motionum irrationalium, lex aeterna in improprio & latiori sensu accipitur: si restringatur ad motus, seu actus liberos creaturae rationalis, qui soli sunt proxima legum materia, tunc in proprio sensu accipitur. *Lex naturalis* Doctori Angelico est impressio divini luminis in creaturam rationalem, quo inclinatur in debitum actum & finem. *Lex positiva* est quae ex libera magistratus determinatione faciendae vel omittendae decernitur, & quia lex ab Ecclesiastico magistratu lata per antonomasiam canon dicitur, ideo *lex Ecclesiastica Canonica* dicitur, & Jus Pontificium ex ejusmodi canonibus acervatum Jus Canonicum appellatur. Leges verò magistratuum saecularium, tanquam institutae pro bono civium Civiles vocantur. Alias legum subdivisiones dabant sequentia.

Actus legis à S. D. q. 92. a. 1. quatuor numerantur: videlicet imperare, vetare, permittere, punire. Nam duplex est vis & efficacia legis, directiva videlicet & coactiva. Ad primam pertinet aliqua praecipere, prohibere, permittere: Ad alteram pertinet, infidelis poenis subditos à legum transgressione prohibere.

Colliges ex dictis differentiam inter *legem*, *praeceptum*, *privilegium*, & *consilium*. Praeceptum à lege differt, quia non per se respicit bonum commune, unde & personis singularibus, & à quolibet superiore, Domino, patrefamilias habente potestatem gubernativam imponi potest, nec est suapte naturae perpetuum, cum per mortem praecipientis expiret. Privilegium quoque differt, quòd tangat personas etiam privatas, & in bonum privatum saepius referatur. Ideoque l. 1. ff. de constitut. Princ. privilegium lex personalis vocatur. Consilium manifestè differt, quòd datur à privato ad privatum sine respectu ad bonum publicum, & efficacia obligandi.

ARTICULUS II.

An & quomodo promulgatio sit de essentia Legis?

SUMMARIUM.

1. Promulgatio est necessarium requisitum ad substantiam legis.
2. Aliud est promulgatio, aliud legis divulgatio.
3. Promulgatio aliter activè, aliter passivè accipitur.
4. Promulgatio activa pertinet ad intrinsecam constitutionem legis.
5. Non autem accepta passivè.
6. Unde promulgatio activa non est applicatio legis nisi inadequata accepta.
7. Non omnis actus secundus praesupponit essentiam in actu primo.
8. Lex est actus prudentiae actu obligans.
9. Promulgatio licet actu transferat, remanet virtute.
10. Quomodo verum sit, leges prius condi, quam promulgari?

§. I.

Statuitur sententia affirmans.

1. Constat ex praeced. §. & est certum apud omnes, quòd nulla lex habeat in actu secundo efficaciam obligativam subditorum, nisi sit legitime promulgata, ut adeò promulgatio pertineat ad substantiam legis in actu secundo obligantis per modum actualis regulae & mensurae subditis applicatae. Dubium est, idque exigui momenti, an promulgatio pertineat ad formam & intrinsecam constitutionem legis; an verò sit tantummodo complementum ipsius, aut conditio sine qua non? ubi

2. Notandum primò. Longè distare promulgationem à legis divulgatione: nam divulgatio fit per simplicem communicationem notitiae: promulgatio verò per autoritativam intimationem, seu solennem & publicam legis propositionem.

nem. Ideo licet per notitiam privatim comparatam alicui certò constaret, quòd lex v. g. de frumento extra provinciam non aveniendo esset conscripta, à Principe subscripta, & cras publicanda, is tamen hodie frumentum licitè efferret extra provinciam: cum neque lex defectu promulgationis haberet vim obligandi, neque divulgatio ad solennem publicationem sufficiat, ut praeter alios docet Castrop. disp. 1. p. 2. n. 2.

Notandum secundò. Promulgationem aliquando accipi passivè, pro signo, in quo relucet imperium, & intimatio obligativa Magistratus, e. g. scriptura publicè affixa, vox praeconis &c. aliquando verò activè pro ipso imperio legislatoris, tanquam actu formaliter quidem immanente, virtualiter tamen transeunte, in quantum efficaciter causat, & essentialiter connotat aliquod signum manifestativum legis. Quà praenotata distinctione sit

CONCLUSIO. Promulgatio activè (2.) non 4. passivè accepta pertinet ad intrinsecam constitutionem legis. Ita videtur sentire S. D. a. 4.

Ratio 1. partis est primò. Est intrinsecum & essentialiale legi, quòd habeat vim obligandi: sed in esse obligatoriae formaliter constituitur per promulgationem, eò quòd in notitiam subditorum deducitur ex ipsa promulgatione, inquit S. D. cit. ergo promulgatio pertinet ad intrinsecam constitutionem legis.

Secundò. Lex essentialiter est intimatio & vox publica Principis, loquentis ut persona publica: sed hoc fit per publicam propositionem: ergo.

Tertiò. Lex essentialiter est regula & mensura actualis, in actu secundo mensurans humanas operationes: sed in esse talis constituitur per publicam propositionem & promulgationem: ergo.

Ratio

Ratio secunda partis est: Lex formaliter & in recto nominat ordinationem & imperium legislatoris: ergo illa, quæ pertinent ad intrinsecam constitutionem legis, debent se tenere ex parte legislatoris: atqui solum activa promulgatio se tenet ex parte legislatoris; passivè verò sumpta pro signo manifestativo legis, sic moraliter recipitur in ipsis subditis: ergo promulgatio non passivè sed activè accepta pertinet ad intrinsecam constitutionem legis. Quo tamen non obstante est requisitum essentialiter connotatum, sine quo activa promulgatio consistere, vel intelligi nequit: prout in simili de revelatione Divina, in Tractatu de fide dicemus, illam activè sumptam esse formale motivum fidei, passivè verò acceptam connotari per modum essentialis requisiti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

6. **O**bjicies primò. Applicatio & approximatio causæ non est formale constitutum ipsius: sed promulgatio legis, tanquam causæ obligativa, est ipsius applicatio ad subditos: ergo non est formale constitutum legis. Minor habetur à S. D., qui legem nuncupat mensuram; promulgationem verò applicationem. Major quoque probatur: Applicatio causæ & mensuræ præsupponit causam & mensuram in sua essentia & actu primo jam constitutam: ergo eandem non constituit.

Respondeo distinguendo min. promulgatio est applicatio legis inchoativè & inadæquatè acceptæ, nempe pro regula solum aptitudinaliter mensurante, concedo; completè & adæquatè acceptæ, pro regula publica actu mensurante, & habente efficaciam formalem actualem obligandi, nego. Sic enim promulgatio non est mera applicatio sed intrinsecum complementum & constitutum legis.

7. **O**bjicies secundò. Actus secundus alicujus essentia præsupponit illam jam constitutam in actu primo: sed promulgatio pertinet ad actum secundum legis, quippe inducens obligationem actualem ipsius: ergo præsupponit essentiam legis, ejusque virtutem obligatoriam in actu primo.

Respondeo negando, vel distinguendo majorem: nisi illa sit de genere actus secundi, concedo; si sit, nego. Nam utique inter rerum essentias continentur actus liberi, vitales, visio, imperium, locutio, consilium, revelatio, &c. quæ omnia constituent formaliter in actu secundo. Sic

itaque lex completè sumpta non est potentialis sed actualis mensura humanorum actuum, regula & locutio publica & præceptiva Principis, actu obligatoria subditorum, ideoque non per actum primum, sed per actum secundum regulandi, mensurandi, obligandi, ad quod intrinsecè pertinet promulgatio, constituitur.

Objicies tertio. Lex est actus prudentiæ existentis in Principe: sed actus prudentiæ secundum suam essentiam & rationem formalem completè habetur in actu intellectus practici dictantis aliquid esse faciendum, vel omittendum ante omnem promulgationem: ergo lex secundum suam essentiam completè habetur ante omnem promulgationem.

Respondeo. Lex est actus prudentiæ, qui sit imperium politicum actu obligans subditos, concedo; alius quicumque, nego: sed actus prudentiæ, qui tantum est dictamen judicativum de agendis vel omittendis, completè habetur ante promulgationem, concedo; qui est dictamen imperativum actu obligans, nego min., & consequentiam.

Objicies quartò. Datur lex etiam promulgatione non existente: ergo non constituitur per promulgationem. Antecedens probatur primò, quia promulgatio est actus transiens, quo transacto permanet virtus & efficacia legis. Secundo: quia datur lex æterna, cum tamen promulgatio tam divinæ quam aliarum legum non nisi in tempore cœperit.

Respondeo negando antecedens. Et primam probationem distinguo. Promulgatio est actus transiens actu, concedo; tam actu, quam virtute, nego: remanet quippe in effectu à se relicto, v. g. signo, scripturâ, memoria, moribus hominum. Secundam probationem distinguo. Datur lex æterna ante promulgationem, quæ sit ab æterno sub inadæquata & inchoativa ratione legis, concedo; sub adæquata & completa ratione legis, nego.

Colliges ex dictis. Quomodo concordanda sint duo axiomata in speciem opposita, quorum uno dicitur, *leges prius condi, quam promulgentur*, altero, *leges institui, cum promulgentur*. Nam primum procedit de lege solum inchoativè & inadæquatè sumpta, pro regula aptitudinali; alterum verò procedit de lege completè & adæquatè sumpta pro regula actuali, habente formalem efficaciam obligandi.

DISPUTATIO XXXII.

DE

Lege æterna, & naturali.

Inter prima & potissima membra, quibus Lex dividitur, poni solet lex æterna, & naturalis, quamvis non sint membra secundum philosophicum rigorem usquequaque distincta; cum Lex naturalis, ut in decursu patebit, formaliter accepta à lege æterna non distinguatur. Utriusque in hac Disputatione naturam, subjectum, materiam & proprietates inquirimus.

ART.